

V 12
1278



143, 2.



Vk

1278

ALEXIS
ECLOGA

Qua

SERENISSIMO,
POTENTISSIMO AC
INVICTISSIMO PRINCIPI ET
Domino, Domino RODOLPHO II. Ro-
manorum Imperatori, semper Augusto &c.
Vngariæ & Bohemiæ &c. Regi, Archiduci
Austriæ, Duci Burgundiæ & Comi-
ti Tyrolis &c. Domino suo
clementissimo,

*Felicem in regionem suam ingressum
gratulantur
Ordines Lusatiae Inferioris,*

SCRIPTA

ab

ABRAHAMO CVMMERO
Ortrantio.

ANNO M. D. LXXVII.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA



2,766.

ALEXIS.
PANOS, SATYRORVM, SIL-
VANORVM, FAVNORVM
ET PASTORVM CONSULTATIO.

Hanc quoq; siluestri meditamur arūdine Musam
Tityrus ut patula quondam sub tegmine fagi:
Nam neq; Meonio procurrunt carmina versu,
Nec grauis assurgit Sophocleo sermo cothurno
Pastorum inflanti calamos: Da maxime Caesar
Te facilem, agrestesq; modos, humilesq; myricas
Admitte, & placido tua nomina respice vultu,
Inuolucris quamuis & canna tecta palustri.

Vere nouo, Boreæ flabris ubi libera tellus
Alma parens gremium recludit, & humida circum:
Rura intermissos repetunt armenta labores,
Auiaq; exultant auibus virgulta canoris,
Pan sese incessu leto per prata ferebat,
Omnia collustrans oculis, quæcunq; Minori
Lusatia subiecta Pater Spreua alluit arua.
Hic dum fortè nouo pratorum illectus honore
Longius, ut penitus flores consideret, errat,
Ignarus quæ fama loci, Mox affore ALEXIM
Audijt, heroëm magnum, rerumq; potentem.
Semideum heroëm, quem Teutona regna Parentis
In solio præstantem equidem dignumq; locarunt,
Ut regat imperio populos, & protegat orbem.
Protinus antiquos siluarum lustra recessus
Pan adit, inuentosq; super Syringe puella
Arripiens calamos, altum, ceu Martia quando
Buccina, per campos sonuit: simul agmine denso
Monticola satyri venere, & ruris alumni
Siluani, spectata cohors, ac numina Fauni
Agrorum, quondam agrorum dum prisca vetabat

Relligio,

Relligio, at celebres nunc passim nota per urbes.
His comes equatis venit pastoria pubes
Passibus, & liquit tardos post terga bubulcos,
Venit & umbrosi nemoris pulcerrima custos
Aegle, Naiadum genitrix, & candida Oreas,
Nympharumq; decus Dryades, facilesq; Napææ,
Pulcræ omnes, pictis incinctæ pellibus omnes,
Cæsariemq; humeris fusæ per colla nitentem.

Tum Pan, Haud vestrarum, inquit, hæc indiga Nym-
Tempora curarum, nec fas sine crimine vitæ (pha
Aut equitum turmam, aut florentes ære cateruas
Fœmineos intrare choros, & mollia membra.
Quæq; suam remeate domum, & muliebria lance
Pensæ reuoluentes fuis incumbite tela,
Ut si fors thalamum (quod non procul auguror esse)
Insigni facie spectabilis heroinæ
Formosus Dijs propitijs dignetur ALEXIS,
Vos nuptæ donum perfectæ Palladis arte
Mittatis, Tyrio saturatam murice lenam,
Et circumtextum croceo velamen acantho.
Munera sunt cuius sua propria: Vellera vobis,
His aliud debetur opus, quod iam instat, agendum.
Nam, consanguinei Satyri, vosq; optima saltus
Pectora siluani quibus est habitare voluptas,
Et Fauni, populorum agmen, pecorisq; magistri
Pastores, gens cura hominum, gens cura Deorum,
Non ego vos longo frustra sermone tenebo.
Ille per Austriacas iuuenis celeberrimus oras,
Diuorum iuuenis certum genus antiquorum,
Cui se magnanimi proceres in subdita iura
Demittunt, paretq; omnis Germania latè:
Cuius ad ingressum regni sopita quieuit
Quæ tot lustra scidit miseros discordia Belgas
Armorum in studia, & sæui discrimina Martis:

A 2

Quem

Quem Bizantino quæ se effert aula tyranno
Ritè salutatum pacem de more rogauit,
Et fædus pepigit longum, inuiolabile fædus,
Sola adeo fama, & primo concussa volatu
Rumorum: Augusto tantum est in nomine numen.
Ille igitur nostras præsentì lumine terras
Aspiciet, seseq; dabit simul ipse videndum,
Cæsaream ostentans cidarim, sceptrumq; paternum,
Et iam finitimæ concurrunt undiq; gentes
Spectatum flexoq; genu venerantur euntem,
Votaq; concipiunt, cumulantq; altaria donis.
Nos quibus arbitrio illius res stantq; caduntq;
A quo sunt siluæ, sunt nobis pinguiæ rura,
Præsidiumq;, domusq;, & oues, & quicquid abundè est,
Sic inhonoratum mittemus? Tollite curas
Mox alias, atq; hæc animo vna infixæ resultet,
Quid quisq; inter vos possit præstare laboris,
Muneribus dignis magnum ut decoremus ALEXIM.
Muneribus decoremus, habent & paruula laudem
Cum desunt maiora: Iouis quoq; sepius agno
Ara, nec occisi semper stat sanguine tauri.

Hæc Pan. Tum senior Satyrorum, nomine ADONIN
Quem dicunt: Sic Pan magne o tua verba secudent
Dij Superi, sistantq; ore Lusatidos illum
Linguentem Boiorum arces paulisper ALEXIM.
Haud equidem se tanto alio iactabit honore
Seu quæ Spreua tuo tellus, seu Nisse fluente
Irrigua, acceptas pastoribus educat herbas.
Nam si ritè animo prisca monumenta recordor
Temporis, haud quisquam his terris vestigia fixit.
Romano Imperio solus rerumq; potitus.
Sæpè quidem heroum (memini) pulcerrima proles
Conspectu dignata suo est: & MAXIMVS olim
Deuotas lustrare vrbes, ac subdita regno

Oppida

Oppida cum vellet letus, Lusatide DAPHNIS
 Letatus, veterem populo applaudente Lubenam
 Intrauit, sceptro insignis tripliciq; corona. (habebat,
 Sed nondum Imperium DAPHNIS, nondum infulam
 Et tunc, quotquot erant, gentes sub patre regebat.
 Nec tu, ne dubita bone Pan, modo viuat ALEXIS,
 Et veniat, quin muneribus decoremus opimis.
 Ipse ego dona feram, dudum que condita seruo,
 Phidiaca totam confectam ex arte bilancem,
 Aurea cui duplici dependet libra catena,
 Aureaq; examen supra complectitur aureum,
 Ansa, iugum argento tantum protenditur albo.
 Hac Astrea solet cunctis equabile pondus
 Diuidere, & fas atq; nefas discernere iusto
 Arbitrio, scelerumq; malis expendere pœnas.
 Hac omnes trutinet causas formosus ALEXIS,
 Et ius pro merito cuius, æquumq; ministret.
 Præterea mihi multa domi iacet, optima florum
 Euphrosyne, primo Autumno quam candida Nais
 Haud ignara herba quod tanta potentia, legit,
 Seruauitq;, & adhuc tanquam bona munera seruat,
 Illa oculis abigit nebulas, mentemq; serenat,
 Erroremq; fugat, semper qui plurimus heret
 Res ubi confusa geritur caliginis umbra
 Illam habeat, sanoq; virum potiatur ALEXIS
 Consilio: nam consilijs stant atria regum,
 Et sine iusticia rogus est inamabile regnum.
 Hoc Satyri dono, his votis eneramus ALEXIM.
 Finierat. Cum mox sic MINCIVS, integer cui,
 (MINCIVS antè alios vnus clarissimus omnes
 Siluanos, quem ludentem iuuenilibus annis
 Vidit & obstupuit Veneti prope littora Mincij
 Mantua diuini cunis celebrata Maronis,
 Vnde suum retinet dilecto à flumine nomen)

Nos quoq, cuncta quibus spes est in ALEXIDE dignum
 Siluani munus, quamuis properetur, habemus,
 Egregiam pharetram, laudati opus Alcimedontis,
 Et chlamydem intertextam auro, gladiumq, repandum.
 His armis bellum defenditur, improba quando
 Latronum rabies pacem conturbat amicam,
 Tisiphone furijs & mente agitata sinistra:
 His armis Siluani omnes donamus ALEXIM.
 Addimus & validis torquendam viribus hastam,
 Cui prepilata fulget de cuspide ferrum
 Oblongum, hastile est palma à radice recisum.
 Hanc sibi ALEXIS amet, bellis hac victor abibit
 Omnibus, & pulchrum statuet cum laude trophæum.
 Namq, hostes prosternit humi penetrabile ferrum,
 Et sepe impetitur, sed vinci nescia palma est.
 Nec nos desidia quisquam (sic LVCAGVS inde
 Excipit, in primo quem ponunt ordine Fauni)
 Arguerit, tardatiue insimularit honoris,
 Quanquam nec galeam, nec fortia promimus arma.
 Arma, quibus bellum curæ est, cædesq, frequentent,
 Nos pacem laudamus: amant & numina pacem.
 Pace vigent vrbes, urbanaq, vincula leges,
 Et legum pietas auia, & pietatis alumna
 Virtutes, comitesq, bonæ virtutibus artes.
 Pace suas mercator opes, & parta tuetur
 Agricola, uxorem coniunx, natosq, parentes,
 Et suus est aris honor, & reuerentia templis,
 Letaq, securas pertransit gratia portas
 Successu fœcunda suo: Pax aurea reges
 Magnos sola facit: Pacis sunt omnia munus.
 Ergo omnes Dominum digno vt signemus ALEXIM
 Munere, proferimus ramum pallentis oliuæ,
 Palladis antiquæ donum: quod rege sub illo
 Pax, pietas, leges, agri, regna, oppida, ciues,
 Præsidium,

Præsidium, decus, auxilium, solatia habebunt.

Hoc Fauni: Hoc illi magni sit muneris instar.

LVCAGVS hæc: & iam Pastores ordine quarto
Restabant soli, quos optimus inter IOLAS,
Nos animæ viles, ait, indotataq; turba,
Nec gemmas alimus, nec acervos diuitis auri,
Vndè grauem meritis dono accipiamus ALEXIM.

Thura autem, castasq; preces adolere parati,

Thure pio Superùm Regi placabimus aras,

Vt pater ipse suo & presenti numine firmet

Cætera Diuorum vota, & det pondera votis.

Vnum etiam adiucimus, sana quia germine Ruta

Tuta venenifera creduntur pocula mense,

Hortensi Ruta magnum donamus ALEXIM

Pastores, vlli pateat via ne qua vñeno,

Siue animam, seu iam corpus petat illud honorum.

Sunt aliæ innumerae, quas educat humida tellus

Floribus & folijs, varijsq; coloribus herbae,

Confiteor, sua laus Beta, Menthaq; virenti,

Marrhubioq; manet, decorantq; Sisymbria ripas,

Et leta ambrosium latè Rosa fundit odorem,

Purpureaq; iuuant Viola caput: & tamen omnes

Aut campe pascit, turpisue arrodit arachne:

Sed Ruta quocunq; loco, quocunq; sub axe,

Nec campe informis, nec turpis adheret arachne.

Cumq; alios flores aut decutit inuidus Auster,

Aut necat acris hyems, sola est interrita Ruta.

Ergò mala ut fugiat fædos contagia vermes,

Et vita longos durante virescat in annos,

Rutam semper amet, Rutam veneretur ALEXIS.

Serpentes bello insequitur mustela, Dracones

Fulua Aquila, & memores exercet iugiter iras:

Sed pugnam factura armat se gramine Ruta

Mustela, & victrix redit à certamine: eadem

Cæsareas

*Cæsareas Aquilas quoties armârit ALEXIS
Victor erit, rumpentq̄ suo se felle Dracones.
Hoc votum Pastorum ingens: Pastoribus omen
Annuite ô superi. Vivat gratissimus omni
Terrarum populo, vincatq̄ & regnet ALEXIS.*

*Talibus orabant inter se, & tecta subibant
Magni Panos, ut unanimes, ubi libera primum
Phæbæis radijs prodissent cornua Tauri,
Festino peterent Soraborum mœnia gressu.
At qui fortè illis unâ tunc venerat agris,
Audieratq̄ omnes voces & verba notarat
Pastor ACON, lacrymas etiam tunc ore madentes
DAPHNIDIS à tumulo retinens, tot vota per auras
Irrita ne raperent violento turbine Cori,
Singula collegit numeris verba, inq̄ recenti
Cortice describens vetuit discerpere ventos.*

F I N I S.

1/4 1278 9A

21




ULB Halle

3

002 624 354






B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



XIS
 OGA
 ua
 SSSIMO,
 SSSIMO AC
 PRINCIPI ET
 ODVLPHO II. Ro-
 semper Augusto &c.
 &c. Regi, Archiduci
 rgundiæ & Comi-
 Domino suo
 issimo,
 m suam ingressum
 lantur
 tia Inferioris,
 IPTA
 b
 CVM MERO
 entio.
 D. LXXVII.

Vk
1278

THECA
AVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

2,766.

